Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1255
Quelle:
Copyright:

Si Thesium XIV. (tot enim numero sunt) literas initiales componas, habebis: *Ferdinandus* III. qui ejus aetatis lusus fuere.

CCCXXVI.

618 Codex membraneus lat. Sec. partim XIII. partim XII. Folior. nunc 160. 4. a diversis manibus partim lineis longis, partim vero per 2. columnas exaratus complectitur sequentia: I. Tractatum Theologicum *de Deo*, cujus prima Quaestio: *Vtrum Theologia sit scientia?* Ultima: *Utrum plures ydee sint in deo?* in qua abrumpitur. Autor nullibi notatur.

II. *fol.* 57. *Incipit uita sancti siluestri pape.* Hoc tenore: *Sanctus Siluester cum esset infantulus a uidua matre iusta nomine et opere nutritus traditus est cirino presbitero* &c. Vide, si placet, quae de hac *Vita* ad *Cod.* CCXCVIII. dicta sunt. In praesenti concordat cum Exemplo *Bon. Mombritii de Vitis SS. T. II.* ibid. citato usque ad verba: *et inestimabilem affluentiam gaudiorum*, post quae in *Codice* additur fabulosa Narratio Somnii *Constantini* M. in quo a *Silvestro* jussus est oratione *Aniculam* mortuam ad vitam revocare; haec vero *Anicula Byzantium* erat, ab ipso deinceps restaurandum et suo compellandum nomine. Figmentum hoc ita incipit: *Post hec Constantinus augustus habuit bellum scitarum et victoria celebrata cum esset in partibus traciarum in ciuitate que bizantium uocabatur, uidit sompnium* &c. Et finit: *et appellata est constantinopolis. id est constantini ciuitas. usque in hodiernum diem.*

III. *fol.* 86. *Incipiunt nomina episcoporum sancte coloniensis Ecclesie.*

Pontificum gesta breuitate profatur honesta
Urbis agripine discreto singula fine.

Catalogus sic init: *Aput agrippinam nobilem ciuitatem gallie primus adeptus est episcopatum sanctus maternus treuirorum ac tungrorum pariter episcopus. Anno ihesu XC. IIII. Domitiano imperatore regnante. seditque annis XL. et obijt Colonie sub adriano imperatore. Anno domini C. XXIII. Qui treuerim delatus cum sanctis Euchario et Valerio honorifice est tumulatus.* Vides, sermonem esse de *Materno*, quem quidam a S. *Petro* submissum esse volunt; verum ab a. 94. ad an. 123. non 40. sed ad summum 30. anni fluxere. Pergit Noster: *Deinde usque ad effratam* (Euphratam) *hereticum nullus colon. ecclesie prefuisse dinoscitur. de quo varie traduntur coniecture. uel quod in paganismum fuerit relapsa. uel si qui episcopi successerunt. ob persecutionem latenter prefuerunt. uel sicut beatus maternus successores eius cum treuerensi Coloniensem ecclesiam usque ad prefatum hereticum regebant.* Conjecturis hujus-

modi